merito exclamare liceat: o divinum animal! o magnum summi
Dei simulachrum! o infoetum naturæ miraculum! Praesertim
n. praestantior atq excellentior homo sit Eloquentiâ: pertinet
n. hoc ad perfectionem hominis diserte de rebus posse loqui: unde
nec sapientissimus ille rerum omnium Creator Deus linguæ
sedem in altissima æq ac nobilissima corporis parte colloca-
re dubitavit, ut non tam membri hujus dignitatem decla-
raret, quam usum ipsius demonstraret, qui omnium maximus
hic est, ut homo linguæ beneficio conceptas animo rerum
imagines exprimat, eodemq instrumento Eloquentiam exer-
ceat, qua ipsa nihil, ego Eloquentia Deo, in rebus huma-
nis dignius esse censeo, nihil præclarius, nihil efficacius:
hujus quippe vi homines trahuntur quasi catenati, sponte
tamen et non repugnantes, trahuntur sed non renuentes,
aguntur, sed non inviti: o catenam suavem! o vim
potentem! o vim efficacissimam!
Et sane primus omnium rerum parens nulla re magis hominem
separare potuisset a coeteris, quæ quidem irrationalia, ani-
malibus, quam dicendi facultate. Esto igitur, quod corporum
magnitudine, virium firmitate, velocitate item, bruta non
nulla homines vincant, esto quod eum vincat celeritate cervus,
robore taurus et leo, visu lynx et aquila, auditu aper et lepus,
odoratu vultur et canis, facile tamen omnia bruta superat
homo, ut ratione, ita et rationis usu, qui ipse praecipuus
est, ea quæ mente concipiuntur posse loquendo promere.
Scio equidem, quod coeterorum animantium pars moliatur
cubilia, pars construat nidos, pars excludat pullos, pars
feliciter educet foetus: quin et pars alimenta in hyemem
reponit, et opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt
cerarum et mellis, peragit; At vero, quoniam carent
sermone, facile et hoc vincuntur ab hominibus. Quare
si nihil a Deo homo accepisset aliud, in quo mallet
praestare brutis, quam loquendi facultatem, hoc unum utiq
sufficeret ad demonstrandam hominis excellentiam et praestan-
tiam: nec tamen et haec uno eodemq gradu est in homi-
nibus, etiamsi una eademq specie. Quid enim? nonne homo hominem
hoc uno superat, ut alter altero sit Eloquentior, sit
disertior, sit facundior? Sunt, qui sermonem ita possunt
temperare, ut nihil non concinne, prudenter ac ornate dicere
videantur, nihil humiliter et inordinate, sed omnia ordine
et decenter: sunt qui mentes audientium [illegible] volue-
rint possunt convertere: sunt, qui suspensos [illegible]orum ani-
mos et attonitos possunt tenere, ut [illegible] pedibus in
sententiam eorum abeant. Sic jam inconcussum ma-
net, quod, ut ratione et oratione homo praestat brutis
ita homo hominem interdum utriusq gradu superat, quod
honestum, imo honestissimum.
[illegible], quod et nihil majus, et naturæ humanæ Conve-
nientius sit, quam Oratione vincere: h. e. dicendo homi-
num coetus tenere, mentes allicere, voluntates, eo, quo
quis velit, impellere, unde a. quis velit abducere.
Magna profecto vis, magnum robur est militiæ, sin
militiæ vires et Eloquentiæ simul conferatis omnino
deprehenditis, quod longe majus Eloquentia habeat
robur, quam militia, unde et Pyrrhus dixisse fertur:
[illegible] plures a Cinea Oratore et Legato suo urbes
[illegible], quam a se expugnatas armis vidisset.
[illegible] quod et Archidamus Lacedemonius interrogatus, an